

En Excerptum epistolae Tuae.

»Cum iratus sis, ut video, forte non admittas rationes, quas si admitteres non in me offensus esses, sed potius in Te ipsum. Si liceat amice loqui, summa haec erit.

Tua intercessione etc.

Munificentissima sua manu potentissimus Rex Danorum Te 1) misit in suas regiones ad plantas patrias indagandas. Eximius pictor delineavit plantas omnium pulcherrime. Tu addidisti Synonyma secundum seriem aetatum cum nulla 2) Tibi placerent. Ego non capio, 3) forte nec ullus alius, quomodo possis emittere regium opus 4) absque descriptionibus in loco factis, et potissimum absque 5) nominibus plantis impositis, quod a nullo factum unquam vidi, nisi a Meriana in Surinam-ensibus; sed haec foemina erat.

Ego non potui 6) Te allegare Tuamque Floram citare absque nomine. Nomina nulla aderant, nisi synonymica; debui itaque citare primum nomen paragraphi ubique, 7) ut indicarem tabulam in qua picta erat planta, 8) non vero ut indicarem nomen, cum nullum Tibi proprium erat.

Quis unquam allegavit 8) ultimum Synonymon auctoris? Si hoc fecissem, quid non de me, de philautia mea iudicare potuisses ipse, quid non 9) omnes alii?

Sed urges 10) quod debuisses nominare authorem, a quo Tu desumsisti primum Tuum nomen. Ego multoties allegavi 11) Vaillantium, Barrelierum etc: ubi assumsere Tournefortii nomen (non tamen nominato Tournefortio), dum volui remittere lectorem ad pulchram observationem vel figuram; non enim citavi auctores seniores ob sua erronea nomina, 12) sed ob suas illustrationes; si allegassem antiquum auctorem, crederet lector me eum remittere ad observationem et reperisset se seductum.

C. Bauhinus etiam proposuit Synonyma secundum aetates, sed semper his praefixit proprium nomen; 13) hoc si fecisses et Tu, nec de me nec de aliis doleres. Te ipsum accusas erroris, non vero alios bonos. Si placeat meo uti consilio, 14) edas, dum proximum emittas fasciculum, cata-